

IN FESTO SANCTÆ ANNÆ.

CONCIONES.

- I. Virtutes S. Annæ gemmis expressæ.
- II. Parentum exemplar S. Annæ.
- III. Signa inhabitantis gratiæ in homine.
- IV. Quis modus servandus in utraque fortuna.

CONCIO I.

VIRTUTES S. ANNÆ GEMMIS EXPRESSÆ.

I. Jaspis magnanimitatis. — II. Hyacinthus conformitatis cum Deo. — III. Chrysolithus studii orationis. — IV. Chrysoprasus liberalitatis. — V. Sapphirus sanctitatis et amoris rerum cœlestium. — VI. Smaragdus bonæ liberorum educationis.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matth. XIII.

Nihil fere communius quam mittere ac donare corollas in die alicujus natalitio. Hodie celebramus natalem Sanctæ Annæ; jure igitur merito coronam ei damus capitique ejus imponimus. Verum quia variæ sunt corollæ, ex floribus, auro, gemmis, qualem S. Annæ dabimus? Olim qui coronas aliquas in vita meruissent, iis et mortui condecorabantur, permissu legis duodecim tabularum, uti factum in funere Scipionis memorat Plin. l. XXI. c. III. Nos igitur qua B. Annam corona condecorabimus, nisi quam ipsa meruit sibi que comparavit, dum viveret e gemmis et margaritis? Ipsa enim velut sapiens negotiatrix quæsit et coemit non unam sed complures easque pretiosas virtutum margaritas, e quibus nunc ei sertum contexamus et debiti honoris gratia imponemus.

I. Gemmam primam voco jaspidem, quæ ostendit nobis magnanimitatem S. Annæ, in humili et pauperi statu, in quo degebat, tametsi e regina Davidis domo oriunda. Jaspis enim gemma virens et firmissima est, in argento virtuosior quam in auro, ut refert Barth. Angl. l. XVI. propriet. cap. LIII. Vincent. in spec. nat. l. VIII. cap. LXXVII. qui ait: *Virtus est in argento*. Nobilissima de familia fuit S. Anna, sed una cum familia in humilem et plebeiam conditionem dejecta est,

CONCIONES AUCTARIL.

- I. Virtutes Sanctæ Annæ gemmis expressæ.
- II. Parentum exemplar S. Annæ.
- III. Signa inhabitantis gratiæ in homine.
- IV. Quis modus servandus in utraque fortuna.

ubi tamen virtutibus clarius eluxit, quam omnes reginæ, quæ in stirpe David olim fuerunt. Illæ in auro dignitatis et abundantia obscuræ fuerunt; Anna in argento paupertatis, vel certe mediocritatis splendidissima, toti orbi conspicua. Non potuit hoc Satan sibi persuadere, ut dejectus e felici in adversum statu Deo benediceret; idcirco petit Jobum e supremo loco devolvi in imum, sperans illum haud dubie a Deo avertendum. Verum deceptus fuit, et Jobus in sterquilinio Deum glorificans, magis resplenduit, quam prius in senatu et rerum copia; adeo ut Deus in Jobo tamquam victore gloriaretur adversus dæmonem: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus? Plane rectus, qui etiam in adversa fortuna rectam, et ad Deum erectam tenuit mentem, nec ab æquo vel latum unguem deflexit. Non passim occurrunt gemmæ tales, nam: Tange cuncta, quæ possidet, inquit dæmon ad Deum, nisi in faciem benedixerit tibi, hoc est, mox valedicet tibi, quasi daret: Tange montes et fumigabunt, Ps. CXLIII. Plerique enim magna adversitate tacti, dejiciuntur animo, murmurant, indignantur, blasphemant, desperant. Non ita Job; non ita S. Anna, quæ etiam in humilem et pauperem dejecta statum, Deum strenue colebat ac laudabat, sicut acanthus in spinis cantans, et regulus in hiemali frigore. Annam secuta est S. Elisabetha, quæ ex filia regis et principatu Thuringiæ in privatum ac plebeium devoluta statum, ejecta ex aula (procerum injuria) et vili in domo habitans, labore manuum victitabat, eoque in statu longe clarius emicabat virtutum splendore, quam prius in aula, magis gaudens de paupertate, quam de opibus. Has jaspides imitemur nos, tam recti et erecti ad Deum in calamitate, quam in prosperitate, juxta id Habac. III. *Ficus non florebit* (hoc est, etiamsi ficus non floruerit), *et non erit germen in**

vineis; mentiatur opus olivæ, et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo.

II. Secundam dico hyacinthum, quæ est conformitas voluntatis cum Deo. Etenim hyacinthus (qualis olim fuisse describitur ab antiquis auctoribus: nunc enim melleus ostenditur) cœli sereni colorem refert, ejusque variationem sequitur, sereno serenus et hilaris, fusco obscurus et quasi mœrens ac marcescens. Hac ratione S. Anna conformem se exhibuit voluntati divinæ ac cœlesti. Nam imprimis sterilis erat, teste D. Damasceno, in orat. de Mariæ nativitate. et orat. de ejusdem dormit. per multos annos, quod apud Hebræos probrum erat, interim tamen: *Omni virtutum genere florebat*, ait Damascenus, ibi. Post quinquaginta annorum sterilitatem (ut habet auctor lib. de ortu Virg.) exaudita, prolem suscipit, sed præter consuetudinem femineam; aliæ enim proles sterilibus parentibus, singulari Dei beneficio in senectute concessæ omnes leguntur masculæ, uti Isaac, Jacob et Esau, Samson, Samuel, Joan. Baptista. Hoc ergo contristare poterat S. Annam, quia tales parentes masculam prolem desiderant, quæ familiam conservet. At nihil hoc dimovit Annam a comprobanda et oxosculanda Dei voluntate, quandoquidem accepit talem filiam, qualem Deus voluit, et qualis inter natas mulierum nec ante fuit, nec post futura est. Habent hic Christiani parentes, quam imitentur, et sibi comparent geminam: si forte prolem non acquirant, vel non qualem volunt, vel si illa extinguatur, ut cœlo per omnia se conforment, dicantque cum Juda Macchabæo: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*, I. Macchab. III. Ita docuit S. Petrus, apud Clementem, l. L. recognit. *Nos Christiani, inquit, de nulla re vel eventu solliciti sumus, sed in Dei providentia plene conquiescimus, scientes nos illi curæ esse, ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum*. Tiberius II. designatus Cæsar a pio imperatore Justino, ipse quoque piissimus: *Si volueris sum*, dicebat, *si nolueris non sum*, Evagr. l. V. cap. XIII. Niceph. l. XVII. c. XL. Idem nos dicamus Deo, et hyacinthi erimus. Sic orabat piissimæ memoriæ Ferdinandus II. imper. cum de ejus successione in regnum et hæreditarias provincias ageretur: « Domine, si est ad laudem et gloriam tuam, ut major sim, exalta me, et glorificabo te; si ut persistam in gradu meo, conserva me, et glorificabo te; si ut in humiliori gradu sim, humilia me, et glorificabo te, » p. Guil. Lamorm. in ejus virtut. cap. VI.

III. Tertiam chrysolithum appello, quasi dicas

aureum lapidem, quia aureum colorem cum marino mixtum habet, ardentis scintillas diffundens, ideo Græcis *aureus lapis*, Hebræis *tharsis*, hoc est, mare dictus ob marinum colorem mixtum aureo. Debetur hæc gemma B. Annæ propter orandi studium, quod ardentis desideriorum scintillas effundit in cœlum, præsertim in mari, hoc est, tempestate et tribulatione, juxta tritum illud: *Qui nescit orare, eat ad mare*. Jam vero B. Anna per orationis studium continuum, filiam a Deo lectissimam, Mariam impetravit, teste S. Epiph. Greg. Nyss. Damasceno. *illa domi in orto suo, et Joachim foris in monte orare consueverunt pro impetranda prole, voventes se illam Dei obsequio dedicaturos*. Germanus patriarcha Constantinop. ait, addidisse eos jejunia quadraginta dierum. « Tandem, post longa sterilitatis opprobria (ait Judocus Clichtoveus theol. Paris. commentator in Damasc. l. IV. orthod. fidei) et rejecta ipsius Joachim in propatulo munera, quæ templo obtulerat, cum exprobratione infæcunditatis, uterque ipsorum, Joachim inquam et Anna, nuntium de cœlo accepit, nascituram eis filiam, quam Mariam vocare debeant, et Deo ab ineunte consecrent ætate, ut constituerant. » Vidimus hic piorum preces sæpe diu differri, nec tamen incassum fieri, sed tandem cum fœnore audiri. Sic Isaacum pro tollenda Rebeccæ sterilitate viginti etiam annis, non minus quam parentes Deiparæ, orasse scribit S. Chrysostomus, siquidem anno ætatis quadragesimo duxit Rebeccam, sexagesimo demum accepit non unam, sed duas simul proles. Ita nimirum Deus dilationem petitionis, si perseveremus orando, compensare solet, dando plus quam petitur.

IV. Quartam chrysoprasum do, ex auro et porro, quorum colorem refert, sic appellatam Germanice. Fertur hæc gemma dilatare spiritus ideoque ex arcto et avaro facere liberalem et jovialem, apud Corn. a Lap. in cap. XXI. Apocal. Quod bene cum ejus nomine concordat, composito ex auro et porro; quasi faciat aurum non plus æstimare quam porrum, adeoque liberaliter dispergere. Debetur hæc gemma S. Annæ, quæ in sua etiam paupertate liberalis et dives in Deum fuit. Refert enim auctor de ortu Virg. tom. IV. S. Hieron. quod una cum marito omnem suam substantiam trifariam dividerit unam partem templo ejusque ministris, alteram peregrinis impenderit, tertiam propriis usibus reservavit. Sed quonam fructu? Pro tam liberali eleemosyna, quam cum vidua illa paupere misit in gazophylacium, accepit filiam nobilissimam, Dei Genitricem. En fructum eleemosynæ: *Da et accipe*, inquit Eccles. c. XIV. quod explicans Jansenius ait:

Da pauperi eleemosynam, accipe a Deo beneficentia tua meritum, et hic et in futura vita. Da parum, et accipe multum, da bonum corporale, et accipe spirituale: duae istae sorores simul se comitari solent: *Da et accipe*, si priorem pellas, non veniet ad te altera. Lingua et auris in homine naturalem connexionem habent, ut, qui mutus nascitur, fit et surdus, unde Graecum vocabulum utrumque significat. Lingua damus verba et voces, aure accipimus; qui ergo lingua non dat alii, aure nihil accipit. Sic se habent duo illa: *Da et accipe*. Das eleemosynam, accipies remunerationem et gratiam: non das, non accipies.

V. Quintam voco saphirum, hoc est, sanctitatem et amorem rerum caelestium, necnon odium peccatorum. Etenim saphirus colore caeruleo, punctis quasi stellulis interstincto caelum representat, noctu serenum. Deinde, veneno est contrarius, teste Dioscoride, et araneae junctus eam occidit. Ita S. Anna sanctitatis speculum, hostis peccati fuit. Ad haec ejus tam vita, quam familia quasi caelum serenum; illa quidem quot virtutibus, haec quot personis, totidem quasi stellis plenum erat. Quid enim non sanctum in domo S. Annae? Sanctus ejus maritus Joachimus, sancta ejus ex sorore neptis Elisabetha cum conjugate Zacharia, et horum filio Joanne Baptista, sanctus ejus gener Josephus, sanctus Josephi frater Cleophas, ejusque conjux Maria, et horum filii Jacobus minor, Joseph cognomine justus, Judas Thadaeus, Simeon episcopus Jerosolymitanus et martyr, ac filia Maria et Salome; quae mater fuit SS. Jacobi Majoris et Joannis. sanctissimae Annae filia Maria, Dei Genitrix; Sanctus sanctorum ejus nepos Christus. Videte quid momenti sit habere parentes bonos! Sanctum enim hoc par conjugum, Joachim et Anna, sanctissimam genuere filiam Mariam: S. Zacharias et Elisabetha S. Joan. Baptistam: S. Cleophas et Maria conjuges quot sanctos liberos! Nimirum filii saltant, plerumque, sicut a parentibus cani vident. Hinc cum saltaret Saul in cuneo prophetarum, stupentes alii dicebant: *Quaenam res decidit filio Cis?* I. Reg. X. Sciebant enim patrem ejus Cis hominem fuisse rusticum et rudem ab omni urbana disciplina alienum; unde mirabantur, quomodo filius prophetaret et saltaret una cum prophetis, quod nec viderat unquam, nec ediderat a parentibus. Miraculum ergo id erat. Communiter enim partus sequitur uterum, et filii imitantur parentes. Quod vicino exemplo demonstrat Joan. Baptista, qui excipiens Christum ad se venientem illis verbis: *Tu venis ad me?* Matth. III. canit plane eodem modo, quo prius mater ejus Elisabeth, quando excepit venientem ad se Christi matrem: *Unde*

hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Luc. I. A matre ergo praecentrice canere simili modo didicit Joannes. Quare filii et filiae stimulent se ad virtutem et fugam vitiorum intuitu parentum suorum, si pios et sanctos habuerunt, quemadmodum fecit Tobias, increpans suos cognatos temere loquentes: *Nolite ita loqui, quia filii sanctorum sumus*, Tob. II. Sic egit Boleslaus rex Poloniae, qui cum patris sui imaginem collo appensam et in lamina aurea expressam ferret, quando aliquid magni momenti dicendum ei vel faciendum erat, illam osculabatur, dicens: *Pater mi, ne sinas, ut quid vecors indignumque tuo nomine admittam*, Caussin. in aula s. lib. I. cap. II.

VI. Sextam affero smaragdum, qui est bona liberorum institutio; smaragdus enim viridi suo colore res quibus admovetur, aereque ipsum circumfusum imbuit, ac viridem reddit, potius vero instar speculi omnia representat, adeo ut imp. Nero gladiatorum pugnas in smaragdo inspiceret, teste Plinio, l. XXXVII. cap. V. Eodem modo S. Anna filiam suam sanctis suis moribus imbuit, adeoque perpolvit, ut in ipsa omnium virtutum specimina relucere, ipsiusque matris ejus effigies sanctissima. Ex tam sancta enim filia palet sanctitas matris, quae filiam sic instituit, juxta id Ecclesiastici cap. XI. *In filiis suis agnoscitur vir*: et mulier illa ex Christi sanctitate mox conjectavit sanctitatem matris ejus, quando exclamavit: *Beatus venter qui te portavit*, Luc. XI. Nam: *Solent plerumque filiorum ad rationem educationis componi, et mores imitari maternos*, ait S. Chrysost. hom. X. in epist. ad Coloss. Qualis ergo est institutio accepta a parentibus, tales erunt et liberi. Hinc S. Ignatius martyr in suis epistolis crebro monet parentes, ut epist. VII. ad Tarsenses: *Educat liberos vestros in disciplina et exhortatione Domini*: et epist. XII. ad Antiochenses: *Erudite liberos vestros sacris disciplinis*: Plinius, lib. VIII. cap. XLVII. et ante eum Aristoteles, de hist. anim. l. VI. c. XIX. *Colorem futuri fetus* (sic enim loquitur de pecoribus) *non ex ipsius vili colore, sed ex eo, qui sub lingua in vena patris reperitur color, animadvertit*. Qualis igitur erit lingua, sermo, admonitio et instructio patris, talis erit et filius. Sed et mater plurimum potest, ac fere plus quam pater sua institutione. Scimus enim Hebraeorum, qui in captivitate duxerunt uxores gentiles, liberos, non linguam patrum, sed matrum potius didicisse, ideoque Azotice non Judaice locutos, II. Esd. XV. Scimus etiam Deum filios ab Osea procreandos appellasse *filios fornicationum*, Ose. I. eo quod jussus erat in matrimonium accipere fornicariam, ad cujus imitationem magis, quam ad patris continentiam, pro-

clives fore filios praescivit; ut ibi Cornel. quod pluribus exemplis ostendi potest, Salomon tot mulierum amator unde matrem habuit adulteram. Nero imp. cur in omnem libidinem projectus? Matrem habuit sibi similem. Agrippinam. Sic et Afra ante conversionem suam matris Hilariae vitam impudicam secuta fuit. Sugunt enim proles una cum lacte matrum propensiones et indoles, praeterquam quod ab iis tenerius educantur et majori cum labore. Videant ergo parentes, quantum in filiorum institutione situm sit; quantum proinde Deo reddere rationem habeant, si per ipsos pervertantur pereantque liberi; quantum e contra consolationem et apud Deum remunerationem habituri sint, si bene illos instituunt. Expectat enim illos corona, non absimilis illi, quam meruit S. Anna, de qua Christus ait Apoc. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*.

CONCIO II.

PARENTUM EXEMPLAR S. ANNAE.

I. S. Anna a teneris filiam instituit ad pietatem. — II. Removit filiam a mundi laqueis. — III. Magno consilio sponsum filiae quaesivit sanctum. — IV. Filiam Dei servitio vovit et vocavit.

THEMA.

Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Matth. XIII.

Diximus heri de fratribus Jacobi spuris et malis, nec paucos deprehendimus. Dicemus hodie de Annae fratribus et sororibus bonis ac legitimis. Utinam ergo tam multos hodie invenire bonos, quam heri inveni malos, bonos inquam parentes et imitatores S. Annae. Existimarem sane me tot thesauros reperisse. A parentum enim bona institutione pendet salus liberorum; quinimo disciplina et decor cleri, rectorum, subditorum, salus et fortuna reipublicae totius. Sed in thesauro hic videtur esse absconditus et paucis notus: paucae reperiuntur Annae, pauci Joachimi: *Mulierem fortem quis inveniet?* ait Ecclesia, de S. Anna. Non tamen despondebimus animum, sed sperabimus complures, si forte necdum sunt, fore saltem in posterum tales parentes, quales in S. Anna nunc describemus.

I. S. Anna cum conjugate a teneris instituit suam filiam ad virtutem et pietatem. Colligo hoc infallibili argumento, quod filia vix tremula Deo a parentibus oblata sit in templum, ut inter virgines sacras Deo serviret, deinde ex ejusdem vir-

ginis sanctitate. Quomodo enim tantos in virtute progressus tamque cito fecisset, nisi a parentibus optime instituta fuisset? Puicherrima imago esse debet quae Deo sic placuit, ut Deipara fieret: necnon pictor optimus qui eam pinxit: quemadmodum mirabilis structura templi Salomonici, sapientissimum indicat architectum, Salomonem. Infirmas plantulae sunt liberi, quales hedera et vitis, quae per se assurgere nequeunt, sed arbori alicui inniti, et se implectere debent. Jam si arbor recta sit, rectae et ipsae ascendent: si curva, et ipsae in obliquum crescent. Sic omnino liberi sequuntur conditionem et institutionem parentum. Unde Ps. CXXI. *Generatio rectorum* (parentum) *benedicetur*, ait David.

Quare si parentes desiderant rectos et virtute praeditos liberos, a teneris eos instituere et curare debeant. Saepe hoc inculcant ss. litterae, uti Ecclesiasticus, capit. VII. *Filii tibi sunt? Erudi illos et curva illos a pueritia illorum*: et cap. XXX. *Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi* (non obediendo), *et erit tibi dolor animae*. Alludit ad ramusculos arborum teneros, qui quaquaversum flecti, et in varias figuras efformari queunt, non item inveterati; vel ad juvenecos, qui ut jugo collum submittant, a juventuti assueferi debent; vel ad olivas, quae ut oleum dent, premi immatura debent, teste Plinio, lib. I. capit. III. de quibus Psal. CXXVII. dicitur: *Filii tui sicut novellae olivarum*. Bene vero addit Ecclesiasticus: *Ne forte non crederet tibi* (quod Syrus vertit: *Ne forte proterviat te*), *et erit tibi dolor animae*; protervire est petuenter agere, et insurgere in aliquem, quod certe rependunt tandem parentibus filii indisciplinati. Addit: *Et erit tibi dolor animae*; si nimirum videris eos jam induruisse et indomitos evasisse. Belgae dicunt: *Filii dum pueri sunt, afferunt parentibus capitis dolorem, dum adoleverint cordis dolorem*. Capitis dolor facile curari potest, curato scilicet stomacho: sed non item cordis dolor. Sic puerorum pravitas facile emendari potest, sed non adultorum. Inde cordis dolor quem sero sensit David in filiis suis pravis, Ammon et Absalon, quos bellicis negotiis distentus, non corripuit suo tempore.

II. S. Anna removit filiam a mundo et malis societatibus, eamque addixit sacro gynaecio, ubi sanctissime erudiretur inter virgines sacras, in templo scilicet procul ab omni mundi strepitu: non secus ac Samuel ab ubere matris ablactatus, circiter triennis etiam juxta votum matris adductus ad domum Domini in Silo, I. Reg. I. Quod imprimis omnibus suadet S. Chrysostomus, hom. de Anna et Sam. « Oportet filios, inquit, ab ube-

ribus carnis protinus transferri ad ubera spiritalia, ubi rebus divinis assuescant. » Docuit hoc etiam Ecclesiast. c. VII. cit. *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum*; quod utique de filiis etiam intelligendum. *Serva*, inquam, a consortio juvenum et lasciviarum puellarum, a tripudiis, conviviis, spectaculis parum honestis. Qui numquam aurem recenter cusum vult in suo splendore et nitore conservare, includit eum in pyxide munda. Si enim distrahat, et per hominum manus vagetur, cito perdit suum splendorem et nitorem, imo et valorem. Unus eum sordidis manibus fœdabit, alius ponderabit, alius curvabit, alius etiam forte Judæus circumcidet, adeoque informem reddet, ut ab omnibus repudietur velut adulterinus. Sic contingit filiabus passim libere vagantibus. Bene igitur Psalm. CXXVII. cit. mater viti comparatur, filiæ palmitibus: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*. Quis enim nescit, palmites vitum domesticarum alligari ad latera et parietes domus, sed ita alte, ut nemo transiens, uvæ queat decerpere? Sic nimirum filiæ ad domum alligandæ: et ibidem etiam sedulo custodiendæ, in superiori sive secretiori loco, a pratis comitibus: quemadmodum Judith fecit sibi secretum cubiculum in superioribus domus suæ, ubi cum puellis suis clausa morabatur, Judith VIII. morabatur inquam semper, exceptis sabbatis et festis diebus, in quibus ad inferiorem partem domus descendebat, ut synagogam frequentaret, quod asserit Græcus textus, cap. X. § II. Hieron. epist. ad Latam scribit, etiam cum ad templum eunt filiæ, a matribus non deserendas: *Nusquam sine matre in publicum procedant, ait, basilicas martyrum sine matre non adeant*. Ideo Dina, quia a matre sua Lia digressa est ad videndos homines regionis, a Sichem rapta et violata est, Gen. XXXIV. Habet etiam hoc vitis a natura sua, ut palmites suos abstrahat a brassicis, raphanis, et aliis plantis amaritiam continentibus, ne eandem contrahat, teste Plinio, Pierio et aliis nat. hist. scriptoribus sæpius a me citatis. Fecit hoc Sara, quæ videns filium Agar Ismaelem, ludentem cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham virum: *Vice ancillam hanc et filium ejus*, Gen. XXI. Quis vero hic ludus fuerit, plures sunt sententiæ, S. Hieronymus in tradit. Hebr. lib. Genes. ait, exponi ab Hebræis ludum pro idolis, quæ ludo fecerit, quo modo Hebræi vitulo conflat, *sur-rexerunt ludere*, id est, idololatrari. Vel certe ludus ille erat, saltare, vociferari, cantare, ut vult Abulensis: vel significat illusionem, pugnam et contemptum. Quidquid sit, nihil boni fuit, quod egit Ismael, ideo prudens Sara vult removeri eum a consortio filii, ne per eum pervertatur; non at-

tenta cognatione sanguinis. Habemus etiam in lege gratiæ præclarum hujusmodi exemplum in matre S. Melitonis mart. qui inter quadraginta milites Cappadoces natu minimus, sub Licinio, in lacum frigidissimum propter fidem injectus, cum frigore non prorsus, ut alii enectus, et idcirco vivus ab impiis relictus esset; cæteris ad rogum abductis, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse, mater ne filius superstes ab impiis everteretur, ipso semivivo in humeros sublato vehicula martyrum corporibus onusta strenue prosecuta est, et cum in ejus amplexu filius spiritum reddidisset, eum in eundem rogum cæterorum injecit, ut cum illis coronaretur, cum quibus pugnarat, Metaphrastes apud Sur. 9. martii, et S. Basilius, hom. XX. quæ est de quadraginta istis martyrib. Hanc ob causam olim christiani parentes, principes ac potentes liberos suos in monasteriis educari curarunt ad pietatem simul et doctrinam perdiscendam, ut hodieque in Italia crebro fit.

III. Anna filiæ suæ sponsum quæsit magno consilio, non qui opibus, forma et decore vel dignitate præstaret: sed qui virtute sanctitate, sanctum scilicet Josephum, virum ejus ætatis omnium integerrimum, (nam S. Annam usque ad Christi nativitatem vixisse volunt communiter apud Ribadeiram, in floribus ss.) Hoc idem præscribit Ecclesiasticus, cap. cit. mox subjiciens: *Trade filiam, et grande opus feceris, et homine sensato da illam: sensato, id est, prudenti*. Verum est Themistoclis ducis Atheniensis dictum, filiam viro tenuis fortunæ sed prudenti elocantis: *Malo virum pecuniam quam pecuniam viro indigentem*, Valer. Max. I. VII. Cum ramus unius arboris alterius trunco inseritur, non quæruntur in eo flores et poma (imo hæc absconduntur) sed vis vegetandi et proveniendi: sic in conjugio ineundo, non opus, forma, nobilitas spectanda; sed virtus et prudentia, quibus omnia parari non difficile possunt. Attendit ad hoc sedulo inter alias matres Rebecca, Gen. VII. quæ cum vidisset, quod Esau filius ejus duxisset uxores alienigenas, improbas Chananaeas et Hebraeas, quæ erant posteræ impij illius et maledicti Chanaan, cavet diligenter, ne Jacob alter filius, ei dilectus, tales acciperet; dicebat enim: *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Hebr. *ad quid mihi vita?* Ad quid enim vivunt parentes; nisi ut filiis quasi baculo innantur et conservent vitam?

Ex novo etiam testamento audiamus exemplum, quod habetur ad longum apud Metaphrastem et Sur. 15. novembr. in vita SS. Samonæ, Gurie et alibi. Venerat tempore Constantini Magni imper-

cum exercitu Romano miles Gotthus Edessam, qui hospitatus apud viduam christianam, Sophiam, vidit ei esse filiam unicam speciosissimam nomine Euphemiam. Institit ergo modis omnibus, ut a matre filia in matrimonium ipsi traderetur, fingens nescio quas divitias domi se habere, promittens ingentia, mentiens insuper se cœlibem. Vix tandem promissis victa mater filiam ei tradit, ita tamen ut adductus ad corpora ss. martyrum prædictorum juramentum præstaret, se filiam non deserturum, sed comiter et honeste habiturum. Juravit improbus, et adduxit eam impregnatam in patriam. Ibi indicat ei se uxorem et liberos habere, gerat se proinde ut famula ni mori velit, quod et facere compulsæ est. Mortua uxore ancillam Euphemiam in suspicionem necatæ uxoris trahit, et vivam in defunctæ sepulcrum includit. Ubi deserta invocat prædictos sanctos fidejussores suos, a quibus liberata mox reducit in patriam. Impius eodem forte postliminio nihil de Euphemie, quam in sepulcro periisse credebatur, liberatione somnians, reversus et mendacii reus ac perfidiæ deprehensus pœnas dedit capite abscisso.

IV. Anna filiam suam Deo ac divino cultui devovit atque educavit, ut scribunt S. Gregorius Nyssonus, orat. de nativitate Christi, S. Germanus archiepiscopus Constantinopol. in orat. de oblatione, V. Nicephorus et alii, indeque non solum filia ad summam evecta dignitatem, sed etiam per ipsam mater maximam consecuta est gloriam. Omnes fore parentes contendunt, ut magnos efficiant liberos, et simul in illis magni fiant. Qua autem meliori ratione id consequentur nisi ea, quam dixit. Miratus sum heri cum in evangelio legi: *Mater filiorum Zebedæi*. Cur filii tantum Zebedæi, et non etiam filii matris dicuntur? Quia mater petiit illis terrenam dumtaxat dignitatem, pater autem Zebedæus, si (ut videtur) defunctus aliquid eis peteret, utique cœlestem peteret. Quid videtur vobis? An avis illa preferenda, quæ gignit ova et derelinquit ea; an ea, quæ posita fovet et excludit? Nonne hæc illi preferenda? Atqui matres et patres qui terram solum liberis quærunt, ova ponunt, sed non vivificant: plene instar struthionis, Job. XXXIX. *Derelinquit ova sua in terra, obliviscitur quod pes conculcet, aut bestia agri conterat*. Aspicit quidem struthio subinde ova, et arena contacta soli committit fovenda. Sed quid juvat hoc si conculcentur, utpote in terra posita? Sic parentes aliqui ponunt liberos suos in terra, tegunt arena temporalium bonorum, fovent calore principum: sed interim permittunt eos a mundo perverti et conculcari. Omnes nos in hoc mundo quasi pulli in ovo sumus, nondum

exclusi et formati sumus, ut evolare in cœlum possimus; vitam mortuam vivimus. Quid ergo prodest liberis, si velut ova ponantur in terra, et congregentur sabulo, exponantur calori solis? Si inquam, abundant rebus temporalibus, interim non excludantur, non acquirant plumas et pennas, quibus aliquando exclusi ex hac vita evolare in cœlum, ibique vivere queant? Si conculcentur a mundo et diabolo, bestia illa? Si fœtore compleantur? Scimus enim ova, quæ supposita non excluduntur, fœtere et abijci.

Quid effecit Herodias in filia sua, cum belle eam saltare docuit? Quid sibi et filiæ comparavit? Ipsa mater cum Herode ab imperatore missa est Lugdunum in exilium: inde profugientes in Hispaniam multis afflictis calamitatibus perierunt. Filia autem cum aliquando flumen glacie concretum transiret pede, glaciem rupit, et cadendo caput glacie resectum perdidit; quod et in pœnam saltationis suæ funestæ, et postulati capitis Baptistæ, supra glaciem saltus edidisse fertur, Nicephorus, l. II. c. XX. E contra vero S. Anna quantam suæ filiæ et sibi per eam comparavit gloriam? Deipara non esset regina cœli, si non fuisset a tam sancta matre tam sancte instituta: Anna nesciretur, in tenebris lateret, si non habuisset talem filiam. Ergo, o parentes, ut una cum filiis et filiabus vestris exaltari et ad cœlum evolare possitis, estote similes Annæ.

CONCIO III.

SIGNA INHABITANTIS GRATIÆ IN HOMINE.

I. Odium et horror peccati. — II. Virtutes cum humilitate. — III. Morum commutatio luculenta. — IV. Promptitudo ad obsequendum Deo in omnibus ex amore. Item experientia singularium Dei beneficiorum constans. — V. Lumen internum, lætitia cordis et tranquillitas conscientie. — VI. Contemptus mundi, dolor de peccatis omnibus, propositum vitandi omnem Dei offensam, Christi imitatio.

THEMA.

Similis est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Matth. XIII.

Audimus interdum non neminem sic loquentem: Si thesaurum invenirem, jam absolutus dominus forem, et gaudiis circumfluerem in omni vita mea. Et quid si vobis, auditores, thesaurum aliquem ostenderem, ut possitis esse domini pleni omni gaudio? Ecce vobis S. Annam matrem ditissimam, thesauro onustam, cujus si vos filii sitis, thesaurum invenistis, et domini opulentissimi eritis. Qua vero ratione? Audite S. Joannem Damas-

enum, l. IV. orthod. fidei, c. XV. *Gratia* (nam hoc sonat *Annæ* vocabulum,) inquit, *dominam parit*; etenim *Mariæ* nomen *dominam* significat: *Anna* *Mariam*, *gratia* *dominam* significat. Igitur qui *Annam* habet, thesaurum habet, qui *gratia* *Dei* thesaurus est, de quo Sap. VII. dicitur: *Infinitus enim est thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Quisquis igitur filius, aut filia *S. Annæ*, hoc est, *divinæ gratiæ* est, is certe infinitum invenit thesaurum; quomodo igitur dominus aut domina non erit qui gratiam invenit, siquidem: *Gratia dominam parit*? Bene est, dicit aliquis; sed unde nobis constabit, quod *Annæ* filii simus in *Dei gratia* constituti? Hoc enim si sciremus, nequaquam dubitarem, thesaurum nos invenisse, adeoque vere dominos futuros. Quis vero ostendet nobis thesaurum hunc in nobis esse? Ad hoc respondet evangelium hodiernum, thesaurum hunc absconditum esse, itaque fidei certitudinem adeoque infallibilem de hoc haberi non posse: *Nescit homo inquit Ecclesiastes, c. VIII. utrum amore an odio dignus sit: et apostolus, I. Cor. IV. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Moralem tamen certitudinem, quæ anxietatem et perplexitatem tollat, possumus habere, quam indicat idem apostolus ad Rom. VIII. dicens: *Ipsè spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Quid ergo saltem hoc testimonium nobis ostendet? Patres et doctores, quos hic referam.

I. S. Basilius, in regulis brevioribus interrog. CCXCVI. quærens, qua ratione persuaderi possit animæ cuiquam, quod a peccatis libera sit et expiata, hoc dat responsum: « Si quis in seipso animi affectionem illam similem David inesse animadvertit, apud quem est: Iniquitatem odio habui et abominatus sum: aut assecutum se præceptum illud apostoli, qui dixit: Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, etc. » et mox: « Porro intelligit aliquis se in hujus modi affectione positum, si etiam adversus peccantes admirabilem et horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut David quidem apud quem est: *Vidit prævaricantes et tabescebam,* apostoli vero, qui ait: *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizaret ego non uror, etc?* Et infra: « Quandocumque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quemadmodum diximus, animo affectum se esse animadvertit, tunc sine dubio credat se liberum esse a peccato. » Probat id ex similitudine corporis, quod utique mundum nos habere colligi potest, si ab omni fe-

ditate et sordibus magnopere abhorreamus, v. g. qui munditiei valde studens abhorret vehementer a pediculis; et si vel unum aspiciat, vultum avertit, hic indicium dat se vestes suas ab his bestialibus immunes conservare atque mundas habere: qui vero eas non horret neque curat, suspectum se reddit de earum commercio. Rursum quando ægre et cum horrore aspiciamus alios torqueri, vulnerari, excarnificari, a bestia laniari, signum est, quod nos ab effusione sanguinis et crudelitate procul absimus; pari modo quando non sine commotione et tristitia videmus alios peccare, Deum et proximos offendi, utique demonstramus nos ab omni peccandi voluntate et pronitate longe distare. Quis credat S. Anselmum Cantuar. episcopum non fuisse in statu gratiæ, de quo Edinurus ejus convictor scribit in ejus vita, (21. april. apud Sur.) se multoties audisse eum sub veritatis testimonio profitentem: « Quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, et necessario uni eorum immergi deberet, prius infernum quam peccatum appeteret: » et rursum: « Malle se purum a peccato et innocentem gehennam habere, quam peccati sordem pollutum cælorum regna tenere? » Addit auctor: « Propter hæc magno studio semper nitentur peccatorum contagia devitare, et quidquid eis aliquam nascendi occasionem poterat ministrare, ab intentione sua omni sollicitudine propulsare. » Quomodo enim peccatum in se admittat, qui ab eo tantopere abhorret?

II. Sanctus Gregorius, lib. I. dial. cap. I. hoc indicium proponit: « Mens quæ divino spiritu impletur, (inquit,) habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet et humilitatem, quæ si utraque in una mente perfecte conveniunt, liquet, quod de præsentia Spiritus sancti testimonium ferat. » Secura illa civitas vel arx, quæ vigilantissima in suis mœnibus, turribus, vallibus et propugnaculis custodiam habet: similiter qui virtutes humilitate munitas habet, de inhabitante Spiritu sancto sibi gratulari potest. Humilitas enim est fundamentum simul et custos virtutum optima, teste Sancto Bernardo, ser. I. in natali Domini. Templum Jerosolymitanum: *In summo aureis veribus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus avibus pollueretur,* inquit Josephus, lib. VI. de bello cap. VI. Aureæ igitur illæ cuspides mundum conservabant templum ab avium sordibus: similiter humilitas custodit cor virtutibus ornatum, quod est Dei templum, ab insidiis dæmonum et sordibus. Ubi ergo virtutes sunt hujusmodi veribus humilitatis armatæ, ibi vix esse dubium potest, quin thesaurus gratiæ in corde mundo sit reconditus. Qui habet thesaurum sub fida et firma cu-

stodia, nonne divitem se appellare potest? Quare qui virtute sub custodia humilitatis habet, confidere etiam poterit, se in gratia Dei esse.

III. S. Bernardus, in ser. de quatuor orandi modis: « Quæras, inquit, unde aut quando nosse poteris, utrum hanc consecutus sis indulgentiam: » et respondet: « Ait Dominus paralytico: Surge, tolle lectum tuum et ambula; et tu ergo primo, si jam surgis desiderio supernorum. Secundo, si grabbatum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud et ferat, quo non vult. Tertio, si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ ante sunt, te extendens, desiderio et proposito proficiendi, curatum te esse non dubites: neque enim surgere poteris si non aliquatenus notus esses alleviatum; nec grabbatum tollere, nisi exoneratus magis, quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est. » Mira hæc mutatio morum de perveris in sanctos, satis etiam manifesta indicat hominem de castris dæmonis transiisse ad castra Christi, cujus jam insignia et arma gerit. Idem Bernardus, epist. CLXX. confirmat his verbis: *Spiritus novum advenisse, certissime nova conversatio testatur.* Hoc etiam inter alia signa dedit Samuel Saul, I. Reg. X. *Insiliet in te Spiritus Domini et mutaberis in virum alterum,* mox subdit: *Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Sciat igitur qui ex iracundo mitis, ex ebrioso sobrius, ex avaro liberalis, e superbo humilis, ex impudico castus evasit, sciat inquam Dominum secum esse, seque tam non iræ, sed *Annæ* et gratiæ Dei filium esse.

IV. Cardinalis Cajetanus, in cap. VII. epistolæ ad Rom. duo alia indicia depromit. « Media (inquit) quibus utitur Spiritus sanctus, quæ assumit Spiritus sanctus simul cum nostro in testimonium, quod sumus filii Dei, sunt regulariter duo. Alterum est amor Dei promptus ad obsequendum Spiritui sancto quem efficit Spiritus sanctus in iis, qui Spiritu Dei aguntur: alioquin non agerentur Spiritu Dei nisi ad momentum. Alterum est experta continuatio divinæ gubernationis, custodiendo a damnabilibus, illustrando, inspirando, excitando, movendo, fovendo et hujusmodi. Nam cum experimur tam prompte nos diligere Deum, et tali tantaque cura gubernari a Deo, testimonium a Spiritu sancto et nostro habemus sufficientissimum, ad hoc ut credamus, quod sumus filii Dei. » Sic ille. Primum illud fere coincidit cum eo, quod dat Origenes, in eundem Sancti Pauli locum ad Rom. VIII. *Ipsè Spiritus adoptio-*

nis, ait, *per quem in filium qui adoptatur, redditur testimonium et confirmat spiritum nostrum, quod sumus filii Dei, posteaquam a spiritu servitutis adoptionis spiritum venerimus, cum jam nihil incertum timoris, id est, nihil propter pœnam gerimus; sed propter amorem Patris cuncta perficimus.* Sic ille. Quare sicut promptitudo obsequendi cum amore demonstrat filium non servum, qui timore magis ducitur; sic quando quis deprehendit se alacriter ferri ad faciendum ea quæ Deus præcipit, indicium habebit se esse filium Dei, in gratia constitutum.

Quando currum stridere audimus, unguen deesse non vane conjectamus; inesse vicissim, cum expedite pergat: pari modo cum quis ægre et stridula voce seu murmurando peragat, quod jubet Deus, indicat sat superque se Dei gratiæ, quæ est unctio Spiritus sancti, facitque hominem promptum ad obediendum, esse destitutum; eadem vero inunctum, cum prompte et absque omni retinentia: *Viam mandatorum Dei currit* inter David, Ps. CXVIII. Angeli boni a malis in terra hæc discrimine discernuntur, quod illi Dei voluntatem promptissimo semper animo exequantur, mali vero invito, cum murmure et indignatione. Raphael, quem Deus misit ut esset comes Tobiam, in foro stetit præcinctus et paratus ad ambulandum, se ipsum quasi Tobiam offerens in comitem itineris, Tob. V. Unde bene se appellavit *Azeriam*, hoc est, *auxilium Dei, filium Ananiæ, nubis Dei;* quia in exilium Tobiam nubis instar promptissimus advolavit. At e contra dæmon ille Marci I. et Lucæ IV. quem exire ab obsesso Christus jussit, exclamans voce magna et discerpens hominem projecit in medium, ut ostenderet quam invitatus et indignabundus Christo pareret. Quod ergo discernit bonos angelos a malis, hoc idem non obscure discernit filios Dei et gratiæ a filiis tenebrarum: promptitudo scilicet ad parendum Deo.

Non minoris momenti alterum indicium est, si quis divinæ gubernationis singularia beneficia constanter in se experiatur. Tametsi enim Deus etiam peccatores et trepidos suo tempore excitat, stimulatque beneficiis, castigat flagellis, hortaturque ad frugem; multo tamen magis pluribusque modis id præstat justis, adeo ut S. Ambrosius, lib. IV. in Lucam dicat: *Dominum dormire tepidis, vigilare perfectis.* Patet imprimis in eo quem diximus Tobiam, cui dedit socium itineris unum e septem angelis, qui stant coram ipso, ut eum custodiret in omnibus periculis, præveniretque benedictionibus: patet in Abrahamo, Elia, Daniele, Joanne Baptista in deserto, Paulo eremita aliisque innumeris, quorum Deus majorem habuit curam, ut eos aleret, protegeret, solaretur.

quam multorum millium impiorum. Unde beatus Laurentius Justinianus, de triumphali Christi agone, cap. XXV. ait: *In tribulatione Deus justos comitatur, ut illos in praesentiarum eripiat et glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant: in periculis ne cadant: in dubiis ne errent: ne hujus vitae consolationem amittant.* Qui ergo hæc in se constanter experitur, næ ille gratulari sibi potest de invento apud se thesauro.

V. Alexander Alensis celeberrimus doctor tria alia signa adducit, p. III. quæst. LXXI. Primum, est lumen, quo replentur justus ut mysteria divina et agenda omnia, seipsos denique plenius possint cognoscere. Scimus enim ubicumque habitabant filii Israel in Ægypto, ibi lucem fuisse: tenebras vero ad Ægyptios, Exod. X. eosdem etiam a columna ignis ductos per desertum, Exodi XIII. Hinc quandoque sancti viri, alioquin parum docti, plus vident et annuntiant de rebus altissimis, quam doctissimi alii.

Alterum est lætitia et gaudium, quo replentur corda justorum. Non enim habet amaritudinem conversatio eorum, sed lætitiã et consolationem. Sane S. Antonius ex animi lætitiã dignoscebatur ab aliis fratribus; quanto magis noscetur justus ab injusto per eandem viam.

Tertium est pax et tranquillitas cordis, carentis omni remorsu aut conscientia alicujus peccati mortiferi. Hæc enim tranquillitas sequi solet adventum Spiritus s. quia: *In pace factus est locus ejus*, Psal. LXXV. Sic bona disciplina et tranquillitas in domo indicat præsentiam boni patrisfamilias: dissolutio et tumultus, ejusdem absentiam.

VI. Andreas Vegas præstans theologus, in l. de justificatione, tria alia suppeditat. Primum, est despicientia mundi et honorum ejus, honorum, voluptatum, opum ac desiderium cœlestis patriæ. Qui enim spernit vilia bona, sibi forte oblata, hoc ipso indicat se possidere longe præstantiora; et qui talia habet, spernit viliora. Ita Abraham, quia Deum secum habebat, sprexit oblata sibi munera a rege Sodomorum, Gen. XIV. *Ne dicas*, inquit, *ego ditavi Abraham*, quasi dicat: *Nolo divitias, quæ ab homine veniunt: Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona, supernæ gratiæ inceptor*, ait ibi Chrysostomus.

Alterum est: *Dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis.* Hæc est bulla illa et attestatio divina de remissis peccatis, quam petit a P. Catharina Sennensi sibi impetrari confessarius ejus Raymundus. Quando enim oblata ejus menti fuit insolita peccatorum suorum consideratio, adeo ut præ nimio dolore lacrymarum vim profunderet, ac rugitus ederet, timeretque ne pectore rum-

peretur: tum ait illi virgo, hanc esse bullam et testimonium divinum, quod petierat, ut in vita S. Catharinæ Sennen. 29. apr.

Postremum: « Propositum vitandi omnem Dei offensam et servandi per omnia, cuncta divina mandata. Hi probabilissimam sane justificationis conjecturam habent, et merito toto pectore totisque præcordiis de tanto et tam præcellenti beneficio possunt intra se exultare, » inquit Vegas. Certe firmum conceptæ pietatis ac virtutis propositum plurimum valet ad perseverandum in pietate et virtute: sicut iudicium sententiæ definitivæ semel pronuntiatae et in tabulis conscriptæ stabiles et fixæ manent, quod vel Pilatus ostendit, qui semel scriptam iudicii sententiam ut mutaret, nullis Judæorum clamoribus adigi potuit: qui tamen prius eorum postulatis cesserat: *Quod scripsi, scripsi*, inquit, quod jam relatum est in tabulas, mutare nefas est. Quod si igitur nos pari animi robore mentem obfirmavimus ad persistendum in æquitate, signum est, ab ea nos nullis machinis et molitionibus facile esse dimovendos.

Denique, si adhuc aliquod signum desideratis, Christi mores et vitam in vobis representate. Pomum odoriferum in sacco reclusum prodit se odore suo: ita Dei gratia in corde recondita per bonam vitam tuam. Hinc apostolus, II. Cor. II. *Christi bonus odor sumus*; unde, nisi a Christo ejusque gratia in corde reclusa? Ergo Christophori simus (cujus sancti festum heri celebravimus) semper Christum ejusque vitam in nobis circumferentes, et sciemus quod filii Annæ et in gratia Dei simus: sic thesaurum inveniemus: sic domini evademus et omni gaudio perfruemur, hic in gratia, ibi in gloria.

CONCIO IV.

QUIS MODUS SERVANDUS IN UTRAQUE FORTUNA.

I. In prosperis beneficium agnosce et gratus esto: in adversis tibi etiam gratulare. — II. In prosperis non te extollas: in adversis ne dejiciaris. — III. In prosperis moderate utere fortuna: in adversis patienter fer sortem tuam.

THEMA.

Mulierem fortem quis inveniet? Prov. XXXI.

Merito Ecclesia de Sancta Anna legit, et intelligit, quod Proverb. XXXI. dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis enim non dicat S. Annam mulierem esse fortem, quæ in suis brachiis (ita enim pingi solet) gestat fortissimas duas proles, filiam Mariam et nepotem Christum? Hic enim

idolatriam evertit, mortem vicit, infernum destruxit, Satanam regno exiit, cœlum occupavit: illa caput serpentis contrivit. Deinde, Anna sonat gratiam. Gratia duplices gestat proles, et ambas ad cœlum offert: in dextra eos, qui hic prospera utuntur fortuna, et quidem plurimos: in sinistra qui adversam patiuntur, longe adhuc plures: adeo ut nemo de hac matre queri possit; quamquam attendere debent proles istæ, ut ne e matris hujus brachiis culpa sua excidant: *Cadent enim a latere tuo mille, ex decem millia a dextris tuis*, ait psalmista. Ne hoc fiat, audiamus.

I. Qui in dextra sedent, beneficium agnoscant, et Deo gratias agant. Licet enim prosperitas, honor, opes, generis nobilitas, velut res periculose passim homines perdant; id tamen non ex natura illarum, sed ex errore utentium accidit. Male enim utentibus plumbum sunt, demergens ad interitum; bene utentibus pennæ sunt, elevantes eos ad cœlum. Imprimis enim qui his bonis a Deo muniti sunt, ab innumeris curis et anxietatibus se suosque sustentandi (quæ hominem a Dei cultu multum avocant) liberi sunt remotique a periculo, necessitatis gratia rapiendi, fallendi, furandi; cui subjacent miseri, ut agnovit Salomon, Proverb. XXX. dicens: *Mendicitatem ne dedis mihi, ne necessitate compulsus furer et perjurer.* Quemadmodum ergo Adam in paradysum omnibus ad victum necessariis rebus instructum positus fuit ut facilius Deum coleret: ita qui in hoc mundo degunt felices, facillime Deo servire possunt.

Deinde, lapidem habent philosophicum ad vertendum lutum in aurum, si nimirum dent elemosynas: quod facere nequeunt pauperes. Posunt ergo divites et magnates quasi in curru et lectica sine molestia ascendere ad cœlum, si curru suo applicent pauperes, quomodo Sesostres rex Ægypti junxit curru suo reges. Jungent autem, si in eos fuerint liberales.

Denique, si et bona, quæ possident, calcaverint per contemptum, tunc ex iis facient sibi quasi scalam ad cœlum. Quod licet etiam suo modo facere possint egeni, non tamen pari merito. Quis enim nescit plus esse spernere opes, quæ habentur, quam quæ non habentur? Unde talibus Sanctus Hieronymus, ep. ad Demetriad. dixit: *Vestri generis est et calcare divitias.*

Vicissim qui in sinistra sedent, habent et ipsi, quod Deo gratias agant, et sibi gratulentur. Nam primo, omnibus spectatis planior et securior est ad cœlum via per adversitatem quam per prosperitatem. Pauci enim sunt, qui prosperis bene uti sciunt. Unde Psalm. XC. dicitur: *Cadent a latere tuo (sinistro) mille et decem millia a dextris*

tuis. Decem ea in prosperitate pereunt, antequam unus in adversitate. Demonstrari id multis posset, uti exemplo Davidis, qui dum exularet a Saulis aula, oberrans pauper in montibus et alienis terris, bene sibi attendit ne delinqueret. Factus rex, et quietem ac divitias nactus in peccatum lapsus est. Hinc tyranni cum Christianos tormentis superare non possent, blanditiis et voluptatibus aggressi sunt, uti Decius et Julianus, multaque stragem ediderunt. Nabuchodonosor quamdiu felix erat, Dei contemptor fuit: ubi e regno ejectus miser in bestiam quasi deformatus fuit, tum agnoscere Deum et laudare cœpit. Unde Daniel appellat eum lænam, quæ prius alas aquilæ habebat; at ubi evulsæ sunt ei alæ, tum super pedes stetit ut homo, et cor hominis accepit, Daniel. VII. § IV.

Deinde, ad virtutes et scientias capessendas magis idonei et dispositi sunt. Sunt humiles, mansueti, obedientes, laboriosi; unde plerumque plus quam divites proficiunt in studiis et aliis disciplinis: sic acanthis in spinis vivens summa cantus amœnitate floret.

II. Qui in dextra sedent, non se extollant, multo minus alios spernant, sed potius se humiliant ac timeant, ne excidant et ad sinistram transferantur. Primo: « Qui ut in rerum natura, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt, velunt rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissime vertuntur in diversum, » inquit Plin. I. XXI. cap. I. Notum est a veteribus fortunam rotæ insistentem depingi solitam, cui consonat in Psalm. VIII. *Pone illos (principes fortunatos) ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti:* et id Prov. XII. *Verte impios et non erunt.* Exemplo sunt Adonizebec, Judic. I. Abimelech, Nabuchodonosor, Holofernes, Herodes, Act. XII. Antiochus et alii.

Dionysius junior, ut scribit Ælian. I. VI. var. hist. c. XII. humili loco natus astu tyrannidem Syracusanorum ac Siciliæ paravit, imperiumque optime constructum habuit, scilicet naves non pauciores quadringentis, pedestres copias ad centum millium hominum, equitum nonaginta mille. Civitas Syracusana, portubus et mœnibus optimis erat instructa, omnique bellico apparatu, frumento ad centum millium medimnorum. His rebus confidens adamante firmatum imperium habere se putabat, sed deceptus miser ipse primum fratres suos morte affectit; vidit etiam filios suos crudelissime mactari, pudorem filiarum eripi, atque deinde nudas trucidari; breviter, nemo ex ejus propagine sepulturam justam adeptus est: nam alii vivi combusti sunt, alii dissecti, et in mare projecti. Id ei evenit, cum Dion Sy-